

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

XXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

quæ de tertio Symboli Apostolici articulo agit, iisdem ferè verbis repetiit.

XXXIII. Addimus ex Academiâ Salanâ excellentissimæ eruditionis Virum, Johannem Musæum, qui in Locis Theol. ad calamum pro lectione dictatis, ubi de pœnis infernalibus agit, sententiam suam his verbis promit: *Ex parte voluntatis importat damnatio aeterna, privativè considerata, carentiam amoris DEI & gaudii, quod in DEO habere deberent. Sicut enim DELM damnati non cognoscunt, tanquam suum bonum, qualis in se est, sed tanquam judicem & scelerum vindicem severissimum: ideo nec amabunt DEUM, nec in ipso gaudebunt, sed potius odio ipsum habebunt maximo. Sicut enim pœnas, quas infliget damnatis, detestabuntur: ita quoque ipsum DELM infligentem odio habebunt.* Et ex Eberhardinâ ad Nicrum virum accuratissimi iudicii, Jo. Adamum Osiandrum, qui in Collegio, præcipuas fidei controversias complectente, art. XXI. §. 3. hanc format thesin: *Non probabile est, damnatos in inferno semper peccare, imprimis blasphemando.*

XXXIV. Vides, in hoc, non Pontificiorum tantum & Reformatorum, sed & Augustanæ Confessioni addictorum Theologorum, dissensu, varias, easque adversâ inter sese fronte pugnant, agitari de propositâ quæstione opiniones. Quapropter eo te minori periculo implicabis, quamcunque defenderis sententiam. Etsi ex tractatione argumentorum, huic illive parti faventium, sole meridiano clarius apparebit, quot quantaq; fidei nostræ capita, sive defensione sive oppugnatione unius alteriusq; sententiæ & argumenti, etiam à non advertentibus, convellantur. Quæ causa quoque est, cur non otiosa æstimari controversiæ hujus discussio, sed referta variis gravissimisque usibus, jure meritoque debeat.

XXXV. Nam primò, nonnulli *ἠτιχῶσι*, sententiam suspendunt, nihilque sive in agentem sive in negantem partem determinant. Quo præter eos, qui *ἠποχῶσι* profitentur, referendos omnes illos esse cenfeo, qui, dum in locis, compendiisque Theologicis, de infernalibus pœnis tractant, considerationem hujus quæstionis prætereunt, contenti generali vel certe Scripturariâ, (ut nunc ita appellem id, quod Sacræ Pandectæ expressis verbis efferunt) cruciatuum istorum delineatione. Quibus ut litem nullam movemus: ita nec nobis vitio dari posse existimamus, si inquiramus in